

600 “Nōn tamen ēventū iuvenis dēterritus hōrum
 cōnstitit in mediō vultūque in virgine fixō
 ‘Quid facilem titulum superandō quaeris inertēs?
 mēcum cōnfer’ ait. ‘Seu mē fortūna potentem
 fēcerit, ā tantō nōn indīgnābere vincī:
 605 namque mihi genitor Megarēus Onchēstius, illī
 est Neptūnus avus, pronepōs ego rēgis aquārum,
 nec virtūs citrā genus est; seu vincar, habēbis
 Hippomenē victō magnum et memorābile nōmen.’
 Tālia dīcentem mollī Schoenēia vultū
 610 aspicit et dubitat, superārī an vincere mālit,
 atque ita ‘Quis deus hunc fōrmōsīs’ inquit ‘inīquus
 perdere vult cāraeque iubet discrimine vītae
 coniugium petere hoc? Nōn sum, mē iūdice, tantī.
 Nec fōrmā tangor, (poteram tamen hāc quoque tangī)
 615 sed quod adhūc puer est; nōn mē movet ipse, sed aetās.
 Quid, quod inest virtūs et mēns interrita lētī?
 Quid, quod ab aequoreā numerātur orīgine quārtus?
 Quid, quod amat tantīque putat cōnūbia nostra,
 ut pereat, sī mē fors illī dūra negārit?
 620 Dum licet, hospes, abī thalamōsque relinque cruentōs.
 Coniugium crūdēle meum est, tibi nūbere nūlla
 nōlet, et optārī potes ā sapiente puellā.–
 Cūr tamen est mihi cūra tuī tot iam ante perēptīs?
 Vīderit! Intereat, quoniam tot caede procōrum
 625 admonitus nōn est agiturque in taedia vītae.–
 Occidet hic^c igitur, voluit quia vīvere mēcum,
 indīgnamque necem pretium patiētur amōris?
 Nōn erit invidiae victōria nostra ferendae.
 Sed nōn culpa mea est! Utinam dēsistere vellēs,
 630 aut, quoniam es dēmēns, utinam vėlōcior essēs!
 At quam virgineus puerilī vultus in ore est!
 Ā! Miser Hippomenē, nōllem tibi vīsa fuissem!
 Vīvere dīgnus erās. Quodsī fēlīcior essem,
 nec mihi coniugium fāta inportūna negārent,
 635 ūnus erās, cum quō sociāre cubīlia vellem.’
 Dīxerat, utque rudis prīmōque cupidine tācta,
 quod facit, īgnōrāns amat et nōn sentit amōrem.
 Iam solitōs poscunt cursūs populusque paterque,
 cum mē sollicitā prōlēs Neptūnia vōce
 640 invocat Hippomenēs ‘Cytherēa,’ que ‘conprecor, ausīs

adsit' ait 'nostris et quos dedit, adiuvet ignes.'
Dētulit aura precēs ad mē nōn invida blandās:
Mōtaque sum, fateor, nec opis mora longa dabātur.
Est ager, indigenae Tamasēnum nōmine dīcunt,
645 tellūris Cyprīae pars optima, quem mihi prīscī
sacrāvēre senēs templisque accēdere dōtem
hanc iussēre meīs; mediū nitet arbor in arvō,
fulva comās, fulvō rāmīs crepitantibus aurō:
hinc tria forte mea veniēns dēcerpta ferēbam
650 aurea pōma manū nullīque videnda nisi ipsī
Hippomenēn adiī docuīque, quis ūsus in illīs.
Sīgna tubae dederant, cum carcere prōnus uterque
ēmīcat et summam celerī pede lībat harēnam:
posse putēs illōs siccō freta rādere passū
655 et segetis cānae stantēs percurrere aristās.
Adiciunt animōs iuvenī clāmorque favorque
verbaque dīcentum 'nunc, nunc incumbere tempus!
Hippomenē, properā! Nunc vīribus ūtere tōtīs!
Pelle moram: vincēs!' Dubium, Megarēius hērōs
660 gaudeat an virgō magis hīs Schoenēia dictīs.
Ō quotiēns, cum iam posset trānsīre, morāta est
spectātōsque diū vultūs invīta relīquit!
Āridus ē lassō veniēbat anhēlitus ōre,
mētaque erat longē: tum dēnique dē tribus ūnum
665 fētibus arboreīs prōlēs Neptūnia mīsīt.
Obstipuit virgō nitidīque cupīdine pōmī
dēclīnat cursūs aurumque volūbile tollit;
praeterit Hippomenēs: resonant spectācula plausū.
Illa moram celerī cessātaque tempora cursū
670 corrigit atque iterum iuvenem post terga relinquit:
et rūsus pōmī iactū remorāta secundī
cōnsequitur trānsitque virum. Pars ultima cursūs
restābat; 'Nunc' inquit 'ades, dea mūneris auctor!'
Inque latus campī, quō tardius illa redīret,
675 iēcīt ab oblīquō nitidum iuvenālīter aurum.
An peteret, virgō vīsa est dubitare: coēgī
tollere et adiēcī sublātō pondera mālō
inpedīque oneris pariter gravitāte morāque,
nēve meus sermō cursū sit tardior ipsō,
680 praeterita est virgō: dūxit sua praemia victor."